

QK 25

(X 187 7359)

II i  
2142

# DISSERTATIO

DE

# PRIMA SAXONUM

## AD CHRISTIANAM RELI- GIONEM CONVERSIONE,

Seculò à Natò Christò Octavò,

CAROLI MAGNI

Invictissimi Francorum Regis, & po-

steà Primi Germanorum Imperatoris

auspiciò, factâ,

Quam

Ipso MARTINI die, in Supremò Martinianæ Halberstadiensis Audito-  
riò, gratò in DEVM & Patriam animò

instituebat

M. SAMUEL GELHUDIUS HEMIPOLITANUS,

Scholæ Patriæ Moderator.

ANNO



I 6 5 3.

HALBERSTADT, Typis COLVVALDIANIS.





VIRO GENEROSO, NOBILISSIMO  
ET MAXIME STRENUO,  
Dn. RABANO à KANSTEIN,  
Serenissimi & Potentissimi Principis ac Domini,  
Dn. FRIDERICI-VVILHELM I, Sacri Ro-  
mani Imperij Archi-Camerarij & Electoris  
Brandenburgensis, &c. Dn. nostri clementissimi,  
CONSILIARIO, in Ecclesiasticis & Politicis,  
SUMMO,

Serenissimæ & Celsissimæ Principis A N N Æ-  
SOPHI Æ, Ducissæ Brunsvicensis & Lunæbur-  
gensis Viduæ, Aulæ Mareschallo, Capitaneo  
in Horneburg / & Hæreditario in  
Kanstein / etc.

DOMINO SUO GRATIOSO ET ME-  
cœnati Magno, præsentem de primâ Saxo-  
num ad Christianismum conversione Discursum  
Submissè offert & dedicat



M. S. G.





## Quod Deus benè vertat!

**S**I vetuse est religio summorum & de Ecclesiâ DEI præclarè meritorum virorum natales quotannis colere, causam non dicam, quin ex hoc locò hodiernus dies, quò Martinus Lutherus, in mundi hujus immundi Scenam prodijt, & cujus ministeriò diuturnæ illæ humanorum figmentorum tenebræ discussæ, lumenq; Evangelij in multorum cordibus clarò jubare accensum, tenui orationis filò celebrandus. Cogitate enim quæso, quid animi esse potuerit majoribus nostris, quos temporum infelicitas densissimis Pontificiorum tenebris involvit. Remoti erāt homines miserè miserā splendore verbi divini & spissâ traditionum humanarum caligine undiquaque circumsepti. Sanè non habebant, quò vel nativam mentis ignorantiam dispellerent, vel in quò afflicta ipsorum conscientia tutò acquiesceret. Totus fere obstupesco, nec sive mens ad cogitandum, sive vox (sit ferrea licet) ad eloquendum sufficit, quando durissimam illam majorum nostrorum in Ægyptò Romanò-Pontificiâ servitutem, vel leviter saltè mecum reputo. In curiâ Romanâ dominatum tenebat Tyrannis & Simonia, quippe quæ omnia, quæ vel ad vivorum vel mortuorum curam obeundam spectant, habebat venalia. In templis novum solitariarum misiarum aucupium, & superstitiosus Sanctorum cultus: In cœnobijs omnis humanioris literaturæ expultrix, & profligatrix non pedes ampli-

vid. Ioh.  
zadzick  
Polon.  
Ægyptus  
Pōtificiò-  
Monast.



4 **Dissertatio de Primâ Saxonum ad**

Meisner.  
proœmio  
2dæ part.  
philosph.  
Sobr.  
p. 4. &  
Chemn.  
Exam.  
Concil.  
Trid. p. 1.  
de Sacra  
Script.  
p. 14.

Sleid. l. r.  
p. 2.

us incedens, sed quadrigis in vecta barbaries. In Academijs  
Sophistæ, & otiosi in Lombardum commentatores, verbô  
dicam, passim hypocrisis, sed non nuda, verùm pietatis invo-  
luta mantellô. Hinc pro verbô DE I, quod nasum cereum  
in omnes partes flexilem, & Lesbiam regulam omnibus do-  
ctrinis adaptabilem, imò materiam litis & insanix causam,  
impudenter appellabant, fabulas, pro veritate, hominum in-  
venta & placita, pro libertate, Papæ fulminantis habebant  
anathemata. Nunquid surrepta Christianorum oculis pe-  
cunia, manibus scriptura, oribus calix benedictionis, cordis  
bus solida ex divinis oraculis consolatio? Nec quisquam  
côtra mutire audebat, nisi ad carceres, ad rogam, ad alia dis-  
rissima supplicia crudelissimè vellet damnari, ut nequaquã  
mirum, si quoties in tristissima illa regni Pontificij tempora  
corporis ac mentis oculos conjicimus, plurima nobis, quæ  
ad ingens nos cordolium & commiserationem excitare  
possunt, & ad divinæ benignitatis prædicationem adigere,  
objiciantur. Cæterùm piorum hominum in mediô Papatu  
lachrymæ, querelæ & gemitus, cum terris amplius non ca-  
perentur, cœlô recipiebantur, & oriebatur tandem deside-  
ratissima Paschatis & digressionis ex hóc servitiô Romanô  
Pontificiô oportunitas, dum Martinus Lutherus Spiritu  
S. assistente, annô supra millesimum quingentesimum de-  
cimô septimô, impudentes Tezelij nudationes, quibus  
magna muniebat mœnia, oppugnare & expugnare strenuè  
cocepit, adeoque nos omnes, instar filii alicujus Ariadnæi,  
ex istô impietatis & abusuam variorum labyrinthô in viam  
reduxit. Quapropter & utile & necessariû est, si pius de hóc  
immensô DE I beneficiô, per Megalandrum istum nobis  
ostensô, & dicere & audire, præcipuè cum multi de tantâ  
majorum

ma  
cû  
tio  
ex  
ut  
ost  
Tu  
Jul  
stis  
Lu  
hos  
nef  
cac  
cor  
Ind  
eleg  
ren  
hæc  
mu  
nef  
cœl  
nis  
bus  
juce  
lian  
om  
mus  
ladi  
ingr  
tos



## Christianam Religionem conversione, 5

majorum miseriam parum, aut nihil cogitent, ut hoc pacto cum nostram agnoscamus felicitatem, tum ipsum reformationis beneficium rectius aestimemus, & DEO pro paternâ ex hoc durissimo servitutis jugo, liberatione, immortales, ut debemus, agamus gratias. Quemadmodum autem uti ostensum, valde est utile, ut hâc IV. Id. Novembris, quâ Turonensis in Galliâ Episcopi Martini, qui per triennium Juliani Apostatae, immanissimi illius nominis Christiani hostis, castra secutus est, quâ Coryphæi & antesignani nostri Lutheri memoriam pie consideremus, & quanta nobis per hos viros, maximè postremum istum DEUS præstiterit beneficia, ponderemus: Sic quomodo relicto ethnicismi cacoethe, omnium primò ad Christianismum fuerimus conversi, non minus scitu & consideratu est necessarium. Inde enim discimus, omnem culturam nostram, omnem elegantiam Christianæ religionis professioni acceptam ferendam. Cum hâc Germani nos exuimus feritatem, cum hâc sordes abluimus, cum hâc ruditatem nostram corripimus & crudelitatem in melius mutavimus. Ipsa patria nostra olim erat informis, sylvis horrida, paludibus foeda, cælo aspera & cultu aspectuque tristis, hodiè verò Christianismi interventu, splendore urbium formosissima, nemoribus amœnissima, paludibus munda, cælo mollis, & aspectu jucundissima reddita est. Cum igitur illud inter vota fidelium & religiosos urbani coetus hymnos in templis nostris omnibus modò fuerit præstitum, nos, quantum vivi possumus, de alterò hâc ipsâ horâ in hoc virtutis & artium Palladio agemus. Quò quidem in genere, quin magnam, ingrediar abyssum, nemini dubium esse poterit, ideoq; certos cancellos vel limites figendos & constituendos esse vid-

Dress. de  
Diebus  
fest. p. 235.

Conring.  
præfat. in  
Tacit. de  
Moribus  
Germ. p.  
42.



deo, intra quos me contineam, ne vel laudabili vestra benivolentiâ vel ipsò etiam tempore abuti videar. Dicam proinde, non quæ totius Germaniæ, sed Saxonum duntaxat prima ad religionem Christianam conversio & quàm formidabile fuerit *μορφο λυκειον* ethnicus ille inter Saxones ante CAROLUM M. idolorum cultus. De hâc materiâ non adeò in vulgus notâ, neq; injucundâ, neque nō huic festivitati idoneâ, dum verba facio, Auditores, ex omnibus ordinibus humiliter devenerâdi, colendi, amandi, ad Diogenianū illud ut respiciatis, amicè rogo: *Αγεῖν μὴ κατὰ φρονίμην*, h. e. Rusticanum Rhetorem ne contempseris, neque à quò, aut qualiter, sed quid dicatur, æquis animis attendatis, sic enim quantum virium in progressu tenuitas mea mihi detrahet, tantum animi vestra in audiendo attentio subministrabit. Ego ne quod vobis prædium iudicatur, quàm possum diligentissimè præcavebo.

Quæ Saxonum origo & primordia, tantùm abest, ut inter Scriptores conveniat, ut potius nul ò fidei vetustatis monumento aut apertiò veritatis testimoniò fulciantur, imò (ut verum fatear) puerilibus fabulis & anilibus deliramentis pleraque scatent, & risum potius merentur, quàm ullam veritatis suspicionem. Sunt, qui peregrinam esse vocem contendunt, à Sacis Scytharum in Asiâ populo profectam & denominatam. Hos scribunt ex Asiâ profectos novas quæsiuisse sedes, & in Holsatiâ, mox verò ulterius progressos, in Saxoniâ nostrâ consedisse. Cum autem Holsatia cã tempore pestate, sylvis horrida & parùm culta esset, *Holk Sachsen* à loci, quem in colebant, naturâ illos appellatos esse volunt, ex quò postea ipsum Holsatiæ vocabulum ortum suum juxta illos traxit. Huic sententiæ inter alios calculum suum adjicit

Joh. Letznerus in  
Histor.  
Carol.  
Magn. c. 11

## Christianam Religionem Conversione. 7

adjicit Reinerus Reineccius, & qui ipsius commentarium de Misenorum origine latinitate donavit Elias Reusnerus, licet omnibus antiquis sacrarum juxtà ac profanarum historiarum monumentis hoc ipsum reclamare, scribat Cluverius. Reperiuntur alij, qui Saxones Alex. Magno Macedoni militasse & ipsorum ducem Petraculum Cilicem fuisse ajunt, commentò admodum ridiculò, q. Saxones aut eorum duces à petris & silicibus nomen acceperint. Haud equidem inficias ire velim, à Germanis gratulatum Alexandro victoriam missos fuisse legatos, cum id ex Arriano Nicomediense, qui Alexandri historiam singulari & planè Xenophonticà orationis suavitate l. 8. descripsit, liquidò constet, quid? quod Germani etiam regi Alexandro nominis sui magnitudinem ipsis formidolosam arbitranti, & quidnam in rebus humanis præ cæteris extimescerent, sciscitanti, liberè responderint: Germanos timere, ne cœlum ruat. Cæterum Germanorum tum vel Græcorum fuisse socios, vel Saxones in exercitu Macedonicò stipendiarios, nullò fortè antiquitatis indice, nullis literis, imò nullò apice probari potest. Multò minus a. vero videtur consentaneum, quod nonnulli Macedones Alexandrò mortuò, velut omnibus invisos, navibus undecunque quæsitis, aufugisse, & partim in Borussia partim per Albim fl. ascendentes, in eã, quæ nunc est, Saxoniam, commigrasse, fabulati sunt, cujus figmenti solida refutatio legi, si lubet, potest, apud celebrem Hamburgensis Ecclesiæ Decanum Albertum Crantzium. Non desunt etiam, qui magnò conatu magnas nugas agentes, patriam tradunt istius vocis originem, à quodam reli genere ad latus more gladii aut pugionis appensò, deductam. Imò ut nulla sententia tam fuit unquam absurda, quæ non Patronum suum nacta fuerit

Rein. Reinecc. com. de origine Misen. l. 1. Germ. Antiqu. c. 3.

Christ. Matth. Theatr. Hist. l. 3. in vitâ Alex. p. 16

Præfat. in Saxon.

## 8      Dissertatio de Primâ Saxonum ad

vid. Orig  
Saxon.  
Georgij  
Fabricij  
Chemn.  
l. 1. p. 2.  
& 3  
Petrus  
Albinus  
de Sax.  
Orig.

part. pr.  
Chron.  
Sax. p. 23.  
l. 3. Germ.  
An. c. 21.  
Bunting.  
in Chron.  
Brunsv. &  
Lüneb.  
p. 4.  
Conring.  
Præfat. in  
li. Tac. de  
Mor. Ger.

fuerit, ita & hîc nugivendulos videas, qui à Saxis q. Romanum sit vocabulum, Saxones derivandos esse, ineptè fringunt, malè scilicet hi sine omni judiciò judices in exoticâ linguâ patrij vocabuli fontes anquirunt. His omnibus hæcenus enumeratis, haud absre Crantzij sententia palmarum præripere videtur, qui Cornelium Tacitum, non plebejum hominem, sed equestris dignitatis virum, non privatum & obscurum, sed multis illustribus muniis functum, secus rus, ut ut non sit ad Petri Albini palatum, Saxones indigenam gentem esse statuit, sed aliò ab autoribus præcis appellatam nomine, quando quidem illa omnia, quæ Cattis & eorum vicinis Chaucis tribuit Tacitus, Saxonibus congruere non malè colligit. Fateor quidem Saxonum nomen apud Tacitum, cui uni propemodùm nota patriæ ac majorum nostrorum vetustas accepta ferenda, non reperitur. Neque enim Saxonum nomen ante Maximini tempora, h. e. paulò ante annum Christi trecentesimo Romanis innotuit, aut in ipsorum historijs celebratum, fortè quod tum in patriæ finibus, fortunâ suâ contenti obscuriores laterent, vel quod vicinorum Cimbrorum nomine ab exteris simul comprehenderentur, ut conjicit Chytræus. Suspiciatur nihilominus Phil: Cluverius, apud Tacitum corruptam esse vocem F O S I pro Saxoni, primâ syll. ba S A prorsus amissâ, dein X & N. vitiatis in F & S. Nec longè abit ab hæc Crantzij sententiâ recentioris cujusdam conjectura, qui per Chaucos Saxones intelligendos esse contendit, cum ex Chaucis vocabulum Sachse / mutatis & interjectis alijs literis ortum esse, non invalidò adeò tubicine statuminare possimus. Valeat hîc interim, quod Conringius, nobile illud Acad. Jul. decus, præclare alicubi monet: Getas, ait ille, esse Gothos, Sacas, Saxones, Mysios, Milnenses, Dacas



## Christianam Religionem Conversione 9

cas, Danos, Phryges, Frisios, Vandalos, Venetos, atque in  
universum Carmanos esse nos Germanos, tantum propter  
hanc soni aliquam convenientiam, quotquot credunt, ne-  
scio, annon risum potius mercantur, quam refutationem.  
Rectè herclè, cum ex solâ nominum affinitate de gentium  
rebus conjicere, si nullum aliud habeas argumentum, fa-  
cinus sit audax & prorsus temerarium. Optima dubiò  
procul sententia est recentiorum aliquot, qui ab Asche-  
naze Noachi pronepote, ejusque Filijs & nepotibus, pri-  
mam gentis nostræ Germanicæ, adeoque etiam Saxonum,  
quæ nobilissima Germaniæ pars sunt, originem deducunt.  
Adami quippe Filius Seth, hujus Enos, hujus Kenan, hujus  
Mahalaleel, hujus Jared, hujus Henoch, hujus Methusalah,  
hujus Lamech, hujus Noah, hujus Japhet, hujus Gomer,  
hujus Aschenatz, qui omnium Celtarum, quorum pars ma-  
xima Germani & in his Saxones. Ita videlicet, Auditores,  
rectè inquirunt Historici in primordia nostra, & obscuris  
lucem, obsoletis nitorem, dubijs fidem & pereunti memo-  
riæ quasi animam iterum reddunt. Tantum de nomine  
& origine Saxonum. Quò verò limites, quos initio no-  
bis posuimus, non transcendamus, aut extra oleas, ut dici-  
tur, vagemur, sed quando & quomodo gens Saxonica,

— — *dives opum studiisque asperrima belli,*

ut ait de Carthagine Maro, dispulsis Cimmerijs gentili  
smi tenebris, Christianæ religionis lumine irradiata fuerit,  
ordine & quàm fieri potest, clarè & perspicuè tradamus, nō  
dicemus prolixè, quomodo vel Teutones & Cimbri, quibus  
tanta fuit ferocia, tantus hostium contemptus, ut robur po-  
tius audaciamquè ostentantes, quàm necessariæ quicquam  
rei agentes, nivem nudis corporibus incidentem pertule-  
rint, perquè glaciem & altam nivem ad summitates mon-

B

tium

Cluv. l. 1. r.  
ant. Ger-  
man. c. 4.

Gen. 5. 2.  
v. 3. usq;

21.

&

c. 10. v. 4.

l. 1. Æneid.

Ægeis.

Plutarh.

in Mario

p. 45.

In Mil. gl.  
A&I. Sc. I.

Florus l. 3.  
c. 3.

in Chron.  
nol. hist.  
Herod. &  
Thueyd.

Svetoni-  
us in Cæ-  
sar. p. 44.

Iul. Cæs. l.  
1. de bello  
Gall. p. 24

tium evaserint, & inde scuta corporibus latè supponen-  
tes, per præcipitia sese demiserint, quomodo, in quâ, Cim-  
bri annis ante natum CHRISTUM centum & undecim Cn.  
Papirium Carbonem ad Norbeiam oppidum, cum ingenti  
exercitu occurrentem, acie fuderint & profligaverint, aut  
quomodo annis 107 ante Salutiferam Christi incarnatio-  
nem, M. Junium Silanum Consulem & sequente anno M.  
Scaurum, non aliter ac ventus folia & panniculam tectoriâ,  
ut ille apud PL. jocatur, difflaverint, vel denique quantâ &  
quàm miserabili clade Q. Cæpionem Procons. fuderint, quâ  
clade, sunt verba Flori, omnes fugati, exuti castris, ut nisi  
Marius, à quo tandem superati Cimbri & Teutones, illi secu-  
lo contigisset, actum de Romanis fuisset. Scriptum reli-  
quit Plutarchus, quem historiae Græcæ & Latinæ thesaurum  
& bibliothecam omnium veterum historiae Scriptorum ap-  
pellat Chytræus, in exercitu Teutonicô & Cimbrico ho-  
minum armatorum & bellicosorum, trecenta fuisse millia,  
mulierum v. de quibus stupenda refert Plutarchus, ut &  
liberorum numerum fuisse longè ampliorem. Consimili  
ratione siccô jam præteribimus pede, quid annis quinqu-  
aginta & aliquot ante Salvatoris nostri in carne Epiphaniam  
Julium Cæsarem inter, qui Fabios, Scipiones, Metellos, Syl-  
lam, Marium, Lucullos & infinitos alios multis parasangis  
post se reliquit, & Ponticô triumphô trium verborum præ-  
tulit titulum: VENI, VIDI, VICI, & inter Ariovistum,  
cujus ne vultum quidem, & aciem oculorum Gallos ferre  
potuisse accepimus, gestum fuerit, utpote cujus solâ men-  
tione factâ, tantus subito timor exercitum occupavit, ut  
non mediocriter omnium mentes, animosque perturbas-  
set. Plena est de hoc Ariovistô, unde Germ. nom. Ehren-

vest

# Christianam Religionem Conversione ii

vest testimoniorum vetustas, plena recens ætas, nec contentionum magnitudine, nec celeritate conficiendi, nec dissimilitudine bellorum, facile quisquam cum ipso conferendus. Unicus Jul. Cæsar, ex quò post Tacitum multa de Germanorum moribus & fortibus factis addiscere poterit, quem cum veterum recentiorumq; historiâ, multum delectant & afficiunt, quæ in Germaniâ nostrâ omni tempore contigerunt, magnò & imperterritò animò eum fudit, & ad Rhenum usq; persecutus est. Fortissimi etiam Cheruscorum regis Arminij nullam faciam mentionem, quem liberatorem Germaniæ appellat Tacitus, qui non primordia Populi Romani, sicut alij, reges ducesq;, sed florentissimum imperium lacefferit. Sic nota est Variana clades in VVestphaliâ inter Luppianam & Amisiam facta, quæ profectò tam fuit horrenda, ut Augustus hâc nuntiatâ per aliquot menses barbâ capilloq; submissò caput interdum foribus illideret, subinde vociferans: Quintili Vare, redde legiones, quas perdidisti. Nolumus etiam attingere quinam Druso privigno Cæsaris fortissimè restiterint, quâta fuerit non tantùm virorum, sed & mulierum virtus dicam, an feritas, dubito, quæ si quando præventu Romanorum (ut ait Paulus Orosius) inter plaustra sua conclusæ fuerunt, deficientibus telis, vel qualibet re, quâ velut telò uti furor posset, parvos filios collisos humi in hostium ora jecerunt, in singulis filiorum necibus bis parricidæ. Præteribo etiâ, quæ de Sifrido, Hundingo, Gelderò, Svertingò, Sivverò, Odoacrò, Bertoldo, de sexcētis alijs, quibus natura vires, cōsuetudo experiētiâ viriū dedit, recētiore Crätzij Saxoniâ referre solēt, & statim ad CAROLI tempora, cui si ulli alij virtus, pietas ac res gestæ cognomē M. meritò

B 2

vid. Plutarch. in vitâ Cæsaris. p. 398. & Jul. Cæsaris, l. 1. de bell. Gall. p. 32. & 33.

l. 2. Añal. in fine

Paulus Oros l. 6. c. 1. p. 542.

l. cit.

Büntin. in Chron. Brunsv. & Lüneburg. p. 8. & Alb.

Crantz. in per tot. l. 1.

**Θέσις.****In hist.****Barde-****vic. p. 6.****vid. Cent.****Magd.****Cent. i. l. 2****c. 2. & 10.****Seb. Mün-****ster. Co-****smograph****l. p. 454**

indiderunt, accessum faciam, quippe à quo demum Saxones (ut mox audiemus) debellati & baptismi lavacrò abluti, in Christianorum numerum ascripti sunt. Non equidem negaverim, jam diu ante **CAROLUM M.** Evangelium de **JESU CHRISTO** Saxonibus esse annunciatum, cum ex Henrico Hervordienſe tradat Meibomius, S. Aegitum, unum ex 72 discipulis Christi, mandatò Divi Petri Apostoli in Germaniam profectum, Bardovicum ad fl. Elmena unà cum Marianò Diaconò appulſiſſe, ibiquè Paroeciam rexiffe, postmodum autem utrumque à barbaris eius loci, martyriò coronatum. Nec ignoro, Auditores, accolas Rheni ut & alios Germanos, qui Romanorum & Gallorum subiecti fuerunt imperio, citius multò ad Christianam religionem fuisse conversos, quod vel Episcopatus isti ad Rhenum frequentes haud obscurè docent, utpote Basileæ, Argentorati, Spiræ Nemetum, Vormariæ Vangionum, Moguntiæ, verùm non tam de his, quàm Saxonibus, qui viribus eò tempore potentes & præter severitatem naturæ etiam cultui Deorum vano addicti, verba impræsentiarum faciam.

Horum animi num induci possent, ut & barbaram superstitionem relinquerent, & Francis, quorum Rex erat **CAROLUS M.** se adjungerent, non semel, nec unis modis per Feciales tentatum est, quin additæ sunt promissiones non temnendæ, si quod jussi essent, facerent. Verùm enim verò Saxones Hypsèa sanè cæciores, suæ sibi fortunæ fuerunt fabri, quandoquidem omnibus pacis oblatae conditiõibus posthabitis & superstitionem majorum suorum, & libertatem, quæ fruebantur, retinere maluerunt & se susque bello tutari, quàm suspectæ Francorum potentia & splendidis pollicitationibus fidem habere, aut cervicem

sua

## Christianam Religionem Conversione, 13

suam alienæ dominationis jugo subdicere, falso suspicantes, alterâ CAROLI manu sibi panem ostentari, alterâ teneri lapidem.

Inde igitur inter CAROLUM M. & Saxones ortum atrocissimum illud, non diurnum, sed diuturnum triginta trium annorum bellum, à patre Pipino & Carolo Martello avô antihac cæptum, sed diu intermissum, quod diuturnitate temporis & magnitudine laboris, felicem & optatum habuit exitum. Primum hujus belli à Carolo redintegrati initium, ut ex Regino & Lambertô Schafnaburgense docet Fabricius, incidit in annum à nato Christo supra Septingentesimum septuagesimum secundum. Suscipiebatur verò non de lanâ caprinâ, (quod ajunt) sed partim ob fines Thuringorum & Cattorum, partim ob tributum, quod Franci Saxonibus imposuerant, & stultam homagij CAROLO præstandi, denegationem. Prima tamen & præcipua causa fuit, non tam regni dilatandi cupiditas, quàm Christianæ religionis propagandæ studium & necessitas. Cum enim CAROLUS non in bonis literis duntaxat, sed pietatis præcipuè exercitijs præceptores habuisset Petrum Pisanum, Johannem cognomento Scotum sive Albinum, quod idem valet, (Scoti enim se Albinos suâ linguâ vocant) Paulum Diaconum item, omnes non proleteriæ eruditionis homines, sed viros doctissimè eruditos, ex Britannia ad se missos, ex quâ prima Christianæ doctrinæ ad nos derivata exordia, non potuit etiam non ad pietatis & Christianæ religionis studium alios incitare. Cum primis verò ut Saxones, quibus robur & æs triplex circa pectus erat (ut ait vates Venusinus, depositâ Idolomaniâ, verum DEUM agnoscerent, & Christianam religionem amplecterentur, omnem

B ;

movere

Init. l. 4.

Origin.

Sax. p. 429

Joh. Letz-

nerus hist.

Carol. M.

c. 17.

Christ.

Math.

theatri

hist. l. 4. in

Car. M.

Buchana-

nus hist.

Scot. l. 5.

in Achaio

l. i. Carm.

od. 3.

In hist.  
Carol. M.  
à Bœcle-  
ro edita

Crantz. 1.  
2. Sax. c. 9.  
&  
Orig. Sax.  
l. 2. p. 92.

in Am-  
phitr.  
Act. 1. Sc. 1.

movere lapidem. AEquum enim esse putabat, ut qui unô imperiô & cœlô protegerentur, unum etiam cœli Domi- num agnoscerent, nec agnoscerent tantum, sed eandem illi fidem animô, eadem ore laudes offerrent. Quod cum mansuetudine suâ, cum precibus, cum pollicitationibus obtinere non posset, (erant enim, Eginhardo teste, Saxo- nes & naturâ feroces, & cultui Dæmonum dediti, nostræq; religioni contrarij) vineas & pluteos ad eos egit, vi ex- pugnandoq; eos capturus. Nec feliciter non successit sub manus negotium, solutô quippe conventu, quem VVorma- tiæ instituerat, ad ferociam Saxonum refrenandam CARO- lus Rex ingentibus copijs, trajectô Rhênô, in Saxoniam venit, cui Saxones suô remigiôrem omnem gerentes mag- gnâ manu Magni VVITTEKINDI ductu & auspiciô coactâ, animô imperterrito occurrerunt, dispersi viri, dispersi ordines. CAROLUS postquam ante omnia DEUM solenniter veneratus esset, & ad pietatem fortitudinis genitricem sus- os animâsser, milites pro se quisq; id, quod quisq; potest, & valet, edit, ferro ferit, tela frangût, boas cœlum fremitu vis- rûm, ex spiritu atq; anhelitu nebula constat (ut ait Sofia Plautinianus, & non procul ab Osnabrugâ ad sylvam, quæ à fagis nomen habet, Saxones, ut ut magnâ pertinaciâ pugna- rent, cadunt vulneris vi & virium, & in fugam verrûtur. Sic cæsi Saxones ultra Visurgim fugerunt, & pulsus Vandalis, qui tum in eâ parte Saxoniz habitabant, quæ hodiè habet Hildesensem, Mindensê, Verdensê Episcopat. Brûsvvicens. Lünæburg. & Halberstad. Ducatus cum Episcopatu Magde- burg. ipsorum terrâ occupârunt. Ab illo die (ait Crantzius) Ostphali dicti sunt, quoniam qui patriis in sedibus remans- sere VVestphali appellati, cujus nominis originem, ut hoc

# Christianam Religionem Conversione 15

ὦν ἐν παρῳδῳ moneam, derivat Crantzius ex armorum insignibus, quibus Saxoniae Principes eò tempore utebantur. Erat illud insigne pullus equinus, ante conversionem Saxonum ad fidem Christianam ater, post eam candidus. Inde ergò putat V Vest- & Ostphalos dictos à pullò equinò, quem Saxones suà linguà Bahlen dixerunt, licet alij illos à peregrinando, quod Germ. Wallen significat, derivari malint. Hinc CAROLUS Victor omnia longè lateq; diripere, prædam inter suos partiri, occidere alios, alios in servitutem abducere, arcem Heresburgum munitissimum Saxonum propugnaculum ad fl. Lippiam expugnare, Idolum Irmenis solum evertere & pecuniam & donaria plurima auferre.

Crantz. l. 2. Sax. c. 2.

Fabric. l. 2. origi. Sax. p. 93.

Hoc primum inter CAROLUM & Saxones prælium, quod ex intervallo aliud novum secutum est. Etenim VVITTEKINDUS, CAROLO in Insubres, qui GALLI erant trans Padum fl. habitantes, profecto injuriã prioris anni vindicaturus, postquam arcem Heresburg. denuo occupatam, ejus de statione & præsidio Francis, communivisset, in Hassiam castra movit, ferro & igne omnia vastavit, quin sui templi incendium & everisionem ulcisci volens, ad urbem Frislariam contendit, quam cum prædæ & Sanguinis cupiditate Saxones, instar sanguisugarum, occupassent,

Videt. Strabo l. 5. Geograph. p. 236.

*Ilicet ignis edax summa ad fastigia ventò  
Volvitur, exuperant flammæ, furit æstus ad auras.*

Virgil. l. 2. Æneid. v. 758. l. c. v. 448.

Et sic ædificia publica

*— — veterum decora alta parentino,*

ut Pöetarum princeps loquitur miserè dejecta sunt, ut non urbs ampliùs, sed infelix ejus videretur cadaver. Nec templis servatus honos, sed in ipsius basilicæ tecta ignem injecit,

Joh. Letz-  
nerus in  
hist. Ca-  
rol. M.  
c. 19.

Eginhar-  
dus in  
hist. Ca-  
rol. M.

injecit, licet vana esset sine viribus ira. Bini enim custo-  
des, quod unô ore omnes ferè hujus belli scriptores testan-  
tur, vestitu candidô amicti, pro templô pugnantes, multis  
apparuerunt, quâ specie inusitatâ territi Saxones, pedem  
statim retulerunt, non secus ac si hostes adessent. & ipsorum  
tergis obsidium pararent. Hæ Saxonum novæ turbæ,  
cum finis bello Italico jam esset impositus, CAROLUM  
moverunt, ut Francis suis non discedere prius, è Saxoniâ  
mandaret, quàm totam subegissent. Neque enim magnas  
nimitas Regis ac perpetua tam in adversis, quàm prosperis  
mentis constantia, ullâ eorum mutabilitate, vel vinci poterat,  
vel ab ijs, quæ agere cæperat, defatigari. Hinc primô  
ad VVernam fl., mox in agro Padebornensi, hinc non pro-  
cul à monte Stuffonis, qui hodiè Mülffsberg / dicitur in  
ditione Eichsfeldensi, rursus ad Halam fl., ad quem sita  
est celebris Osnabruga & alibi passim miserandâ strage &  
præsente & absente Carolô profligati, & tantum non fun-  
ditus everfi Saxones. VVITEKINDUS interea ad arcem  
suam Wittigstein / cujus dimidiô supra Mindam milia-  
ri ad Visurgim hodie què nomen & vestigium extat, confu-  
git, sed à CAROLO obsessus, clanculum elapsus in Daniâ  
ad Regem socerum suum se contulit. Rebus ita gestis, non  
pauci Saxonum, ut omnem deliberandi & resistendi facul-  
tatem ademptam sibi viderunt, magnô numerô congregati  
caduceatorem pacem petitum ad CAROLVM ablegârunt,  
patriam, liberos, fortunas fidei ipsius committentes.  
Dies me deficeret, Audit, si quoties superati Saxones, sup-  
plices facti, & imperata se facturos polliciti fuerint, dicere  
vellem. Modò obsides miserunt, fidem, sed plusquàm  
Punicam dederunt, neque divina, neque humana jura vel

pol



polluere vel transgredi inhonestum arbitantes, ut ex Eginhardo qui Caroli fuit consiliarius, refert Fabricius. Scilicet pugnant Saxones pro aris focusque & libertatem vitam pluris aestimabant, ipsorum tamen emolumento factum est, ne vincerent, ut nempe victi jugo caelesti subjicerentur, & D E V M verum agnoscerent, cui soli omnis nostra salus debetur. Nec profecto post tot victorias partas, imò quasdam etiam caelitus & miraculose oblatas, totiens à Saxonibus violata fuisset fides, sed facile unam scuticam omnes impulisset CAROLVS, nisi unicus VVITEKINDVS, qui relictam Angriam suam, oppidum non incelebre, ubi & VVITEKINDVS regiam suam habuit, & postea suam post conversionem sepulchrum, ad regem Daniae Sigfridum confugerat, & per paucos alios, quos supremos suorum consiliorum habebat comites cum Albione obstaculo fuissent. Hinc Padebornam à CAROLO evocati Saxones cum Brunone VVittekindi fratre gemino germano frequentissimi aderant, & se regi parituros Sacramentum confirmabant, sacro etiam baptismi lavacro abluti magno numero recipiebantur. Evestigio primum Saxoniae Episcopatum Osnabrugae constituit CAROLVS, eique Episcopum VVILHONEM Anglum discipulum S. Bonifacii Angli, quem Germanorum Evangelistam & Apostolum nominant, praefecit, ut haberent Saxones, quos mitigari quidem, cogi verò & frangi vix ac ne vix quidem posse videbat, se absente divinarum rerum praesidem & salutis aeternae curatorem, jubebatque, ut subinde ipsorum mentibus, quam posset leni severitate, & severa lenitate instillaret, CAROLVM Regem non fortunis & opibus Saxonum inhiare, sed unicam animarum salutem quaerere. Memorabile valde est, quod quo anno Osnabrugae Ecclesiam condidit CAROLVS, legati ab Imperatore Graecorum ad eum missi fuerint, quando quidem hi ansam dederunt CAROLO Graecae linguae studium suis injugendi. Cum enim CAROLVS, ut ut ab Alcuino in Graecis mediocre informatus, legatis Graecis Graecè respondere non posset, aut sine interprete verba cum ipsis commutare, motum eum esse tradunt, ejusdem linguae vulgandae & propagandae provinciam

l. 4. Orig.  
Saxon.

Rein. Renee  
Comm. de  
Angaria &  
Angrivarijs

Joh. Joch.  
Frantz.  
Argentorat.  
in hist. Car.  
M. p. 20.

Crantz. l. 2.  
Sax. c. 11.

Chytraeus  
pr. parte  
Sax. p. III.

C

suus

Conringius  
diff. 3. de  
Antiquit.  
Acad. p. 64.  
Bellarm. de  
Script. Eccle-  
siast.

Curcul. act.  
1. Sc. 3.

Durandus  
l. 7. rat. div.  
off. c. 40.

B. Platinain  
Siricio &  
Bonifacio.

quis in Collegio Osnabrugensi imperandi, cum primum locum  
eam inter omnes alias linguas obtinere videret, seu multiplicem  
doctrinam spectemus, seu suavitatem ac elegantiam. Hâc rati-  
one (ut ad propositum redeamus) plures dæmonum cultus ab-  
jicientes & apud Christianos nomina sua professi, ansam præbu-  
erunt CAROLO, paucorum annorum spatiô, Episcopatus Pa-  
debornensis, Verdenensis & postea Bremensis, anno istius seculi 88  
fundamenta jaciendi, quibus præfati sunt Saxo Harimarus, Vil-  
radus (alij VVillehadus legunt) & Svibertus Angli, quando qui-  
dem Anglia plurimos ea tēpestate habebat viros, quibus nos ho-  
diè omnis culturæ melioris & eruditionis initia debemus. In-  
ter illos omnium judicio, etiam ipsius Bellarmini Iesuitarum pri-  
mipili, emicuit Beda, cui pietas & vitæ Santimonia Venerabilis  
cognomen peperit. Neq; enim facilè germanas istas duri Du-  
randi gerras quisquam suô comprobabit calculô, qui Bedam se-  
nicem nocturnis oculis (ut cum Plautô loquar) à discipulis in val-  
lem quandam multis lapidibus refertam ductum esse scribit, qui-  
bus, seductus & derisui à suis habitus, concionatus fuerit, non se-  
cus ac si frequens adesset concio. Tandem finitâ concione di-  
xisse eum tricatur: Per omnia secula seculorum, & addit, illicò o-  
mnes lapides altâ voce clamasse: Amen, Venerabilis Pater, Amen,  
eamq; ob causam Venerabilem à posteris appellatum esse Bedam.  
Sed,

— — *Sunt apine triceq; & si quid vilus istis*

Ex hujus Bedæ Venerabilis monasterijs, quæ nihil eô quidem avô  
erant aliud, quàm Christianæ Scholæ, magna doctorum virorum  
copiis, tanquam ex equô Durateo profluxit, qui ut non minus pie-  
tate, quàm doctrinâ eluxerunt, ita amplissimis Episcopalibus ma-  
neribus summâ cum laude, imò summô cum Ecclesiæ fructu sunt  
præfati. Nolo diffiteri (Audit.) jam tum istis temporibus mul-  
tos in Ecclesiam fuisse introductos abusus & errores. Cælibatus  
à Siricio sub fin. quarti, primatus pontificis Romani à Bonifacio  
III. initiô sexti, purgatorium à Gregorio M. sub fin. quinti, alij  
alijs in Ecclesiam inveni seculis, de quibus Guilielmus V Vitakerus  
adversus

# Christianam Religionem Conversione 19

adversus Edmundum Campianum adiri & videri potest, sed tanti abusus, tot ceremoniarum, nonnunquam plus quam ridicularum, tanta avaritia, tam crassi & cum Scripturis è diametrorum pugnantes errores, quibus hodie Romana scæta Ecclesia, licet & antea dicti illi fatis sint grandes, locum nullum habebant.

Cæterum è diverticulo in viam revertamur, & quomodo hoc primum Conversionis Saxonum initium, hæc prima Christianismi apud Saxones fundamenta brevi post, Sp. S. gratiâ adspirante, tanta sumplerint incrementa, ut etiam ipse VVITEKINDVS abjuratus Christianorum hostis conversus & cum eo universa Saxonia, per baptismum Christi Ecclesiæ inserta fuerit, porro ostendamus. Ecce enim, Audit. annus erat à nato Christo post septingentes. octogimus, cum CAROL. M. denuo expeditionem in Saxones, quippe qui venatores aderant auribus plagis & in omnia opera & consilia CAROLI intenti, subinde aliquid monstrari alebant, nec ut Francis morem gererent, aut avitæ religioni valedicerent, ullò modò, ne Attalicis quidem conditionibus, moveri poterant, moliretur. Hoc iniquè; ferè CAROLUS nulli pietate secundus, plenus iracundiæ & quasi farctum ex hostibus facturus, in Saxoniam properat, novæq; rebellionis facem & tubam VVITEKINDVM comperit, quem propterea prehendi, sibiq; in manu tradit jubebat. Verissimum enim, imò tanquam è tripode dictum illud Calchantis apud Homerum:

Κρείσσων γῶ βασιλεύς ὅτε χάσειαι ἀνδρὶ χεῖρῃ,  
εἶπερ γῶ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,  
Ἄλλὰ γε ἔμετόπιθεν ἔχθ' κῦτον ὄφρα τελέσῃ  
ὣν σήθεσιν ἑοῖσι.

Sed VVitekindus, Fidens animi, atq; in utrumq; paratus,

*Seu versare dolos seu certa occumbere morti,*

de suo capite comitia agi videns, & vix ipsam salutem saluti sibi esse, si vellet, posse (neq; enim amplius intra suas erat præsepes) fugâ sibi consulebat. Interea exercitus CAROLI in Ostphaliam

C 2

tendere

Il. a. v. 80.

Virgil. 2.  
Æncid. v. 61

Crantz, 1. 2.  
Sax, c. 12.

Mich, Saxo.  
in Ott. 1.  
p. 120.

Virgil. 2.  
Æneid. v.  
254.  
Prol. Amphitr.

tendere, quæ nunc nostra est patria, obvia omnia sternere, nulli nisi Christiano parcere, hostibus & conveniendi & consultandi potestatem eripere. Quod cum experti essent Saxones, & præterea tantam in acie & armis CAROLI felicitatē satis jam satis perspexissent, oppidò oportune obviam obtulerunt se CAROLO, delicti petentes veniam, & culpam apostasias deprecantes. Crodonem de austrum coluerunt Ostphali Hartzburgi, locò à monte Bructerò, ob altitudinem totò terrarum orbe celeberrimò, non longè disitò, hoc destruxit Carolus, & grato devotoq; in DEUM animò in Salingsstedt/qui locus Osterovicum nobis hodiè dicitur, Basilicam in S. Stephani honorem erexit, primumq; Episcopum Hildegrinum constituit, qui etiam singulari studio & laudabili religionis Zelò per 40 integros annos Ecclesiam collegit, licet postea à Ludovico Pio, CAROLI Filiò, Sedes Episcopalis Halberstadtium ad nos translata fuerit. Neq; verò pedem hinc fixit CAROLVS, sed ad Albim etiam castra metatus, Idolum à C. Julio Cæsare, ut quibusdam placet, vel quod alij malunt, Drusi temporibus in honorem Veneris, erectum, dejecit, templum etiam ipsum diruit, & aliud D. Stephano sacrum ædificavit, quò eodem loco ducentis ferme annis post OTTO primus Archiepiscop. instituit, donatis 19 ad illud templum auri tonnis, cujus rei hodièq; in basilicâ Magdeburgensium monstrantur vestigia. Sic itaq; in extremas angustias redactus VVITEKINDVS, nec locum tutum inveniebat, nec quò se verteret, habebat, verbò dicam:

*Una salus victo, nullam sperare salutem.*

Proinde pro solitâ audaciâ facinus singulare aggreditur. Naviculam instar mendici annis pannisq; obfiti, conscendit, & cum servili schemâ (ut *ἄρχαίτης* Plautus) per Ohram fluv. delatus ad CAROLINVM pervenit exercitum. Cum autem cupidus esset VVITEKINDVS, & exercitum CAROLI inspiciendi, & ex actionibus ipsius & consilijs spolia capiendi, inter mendicos stetit, sed visò quodam admonitus, cum gentilismi terminus à Deo præfixus, jam adesset, sententiam in melius mutavit, & de Christianâ religione dexterius sentire cœpit. Viderat nempe infan-

infantem tenerum & visu pulcherrimum inferi in ora precantium & utentium Sacramento Eucharistiae, quod ipse postmodum CAROLO sciscitanti, cequid vidisset in suo exercitu, ingenuè confessus est. Operæ profecto precium est, audire hîc partem humanissimi Colloquij inter CAROLVM & VVITEKINDVM instituti. Quamprimum enim VVITEKINDVS ad CAROLVM ductus, statim coniectis in eum oculis: Miror, ait, vos nostrâ benivolentiâ & facilitate, cum vestrâ ipsorum infamiâ & populi Saxonici everfione toties abufos, cum intelligere possētis, etiam vestros vos habere DEOS iratos, quorum jura & fidem violâstis, & nunc lugentem ac squalidam vestrâ impietate contemplamini patriam, sed deletâ præteritorum malorû memoriâ, (quod non tam *ἀμνηστίαν*, quàm *μὴ μνησικαχεῖν* vocabânt Græci) patet vobis adhuc locus veniæ, & reditus ad mentem meliorem conceditur. VVITEKINDUS naturâ superior: Patrios, inquit, DEOS & patriam defendimus, nec ab incepto unquam desisteremus, quamvis afflictî, nisi tua nos revocaret autoritas & moderatio. Igitur tuæ nos fidei committimus, & recta atq; utilia suadenti, ultrò parebimus, amicitiam etiam recentem ita colemus, ut intelligas vigere apud Saxones beneficiorum recordationem sempiternam.

Lætus & albô semper signandus calculô fuit hic dies: Optatissima hæc omni populo responsio: Gratisfimû omnibus nuntium, quô tanta & tanti viri fiebat ad Ecclesiâ accessio. Quapropter dies institutus est, quo tum VVITEKINDVS, tum GEVA uxor ipsius, quæ mandato CAROLI accersita jam erat, cum pluribus alijs baptizarentur. CAROLVS plenus gaudij fide jubendo astabat VVITEKINDO, GEVÆ uxori ejus ipsa regina Fastrada, alijs Caroli principes & præfecti & familiares. Discrepant tamen autores & in diversas abeunt sententias, de loco conversionis VVitekindi, Alij enim tradunt in urbe Mindâ ipsi fuisse salutis initium. Alij cû Crantzio Bardovvici factum esse cõtendût, recentiores pleriq; ad Ohram fluvîû conversum esse VVITTEKINDVM & locum à re gesta Wolmir Stedt appellatum esse, scribunt.

Laurent.  
peckens  
stein in  
Profap. fa-  
mil. VVi-  
tikind. p. 2.

Orig. Sax6.  
l. 4 p. 434.

vid. Muret.  
var. lect. l. 2.  
c. 15.

l. 2. Sax. c. 13  
Stemma  
VVitick.  
El. Reusa.  
p. 13. & Letz  
nerus.

nulli  
andi  
ate-  
per-  
L O,  
Cro-  
onte  
non  
Eum  
itur,  
pum  
abili  
licet  
ber-  
C A-  
lulio  
npo-  
m i-  
dem  
in-  
lieq;  
itaq;  
cum  
am:  
tur.  
t, &  
atus  
upi-  
ien-  
ndi-  
inus  
& de  
mpe  
fan-

In Origia.  
Sax loc.  
alleg.

De modô etiam non parùm altercationis ferram inter se reciprocant Historiographi, alijs eum proditum, alijs ex digiti distorti indicio eum agnitum esse, alijs deniq; ultro eum venisse contendentibus. Transacta est, ait Fabricius, ista celebritas concursu multorum mortalium, supra annum septingentesimum octogesimo Septimô, quô ipso quoq; anno Lullus Antistes Moguntinus, à quo baptizatus V Vitekindus, diem suum obiit. Talis, Audite, talis Saxonum annis abhinc octingentis, & quod excurrit, (nam tam paucorum seculorum ambitu res imperij nostri continentur) fuit salutaris ad Christianam religionem conversio; Sic spississima gentilismi caligo dispulsa; sic turpissima idolomania abrogata. Hoc sæpius consideremus, hoc seris narremus nepotibus. O quanta majorum nostrorum infelicitas! O quantæ ubiq; tenebræ! O quam densa omnes circumseperat caligo!

*Tanta molis erat hanc Christo condere gentem!*

Quapropter cum nos hodiè singulari D E I gratiâ, discussis omnis istius superstitionis tenebris, in aprico sole ambulemus, præ gaudio exultemus, & tantam felicitatem gratis mentibus de prædicemus. Hoc autem ut eò majori faciamus devotione & dignâ gratiarum actione, utq; rectius nobis ingens D E I erga nos gratia ac misericordia innotescant, antiquam illam Saxoniam faciem cum hodiernâ paulisper conferamus, & celebriora Saxonum Idola nobis ob oculos ponamus. Hæcenus enim velut eminus & ex longinquô aspexistis mecum gentilismi abominationem: hæcenus q. ante fores morati, solam externam gentilismi faciem contemplati estis. Accedite ergo, Auditores, propius migremus in interiora ejusdem superstitionis ethnicae penetralia. Sed ô immortalẽ DEVM! quantus hic foetor exhalat, quæ hic camera movetur, quæ hic monstra, horrida monstra apparent, certe hic

*Noctes atq; dies patet atrij anna ditis.*

Virgil. 6.  
Æncid.  
Apocal. 18.  
v. 2.  
Div. instit. 1.  
r. c. 20.  
Horol. prim.

Quænam hic fuit dæmoniorum habitatio & omnis immundi spiritus custodia. Ex innumeris, quorum catalogum nescit Christianus ille Cicero Lactantius, & qui Caroli Quinti quòdam Consiliarius, Marcus Antonius de Guevara, saltem istorum Deorum faciam

faciam mentionem, quos Saxones maiores nostri coluerunt. Inter illos facile primas obtinet Irmensula Saxonica in V Vestphalia quondam celebris, cujus effigies in multis Saxonum templis depicta fuit. Sed quid prohibet, illius deastri formam vobis ob oculos ponere, non meis, sed celebris viri Henrici Ernstij verbis graphice eam depingentis: Vir, ait, erat armatus, floribus ad pubem usq; circa eum undiq; e terrâ surgentibus. DEVS enim præliorum habebatur, ortumq; a flore duxisse credebatur. Hâc mente id fictum ita, ut bella gravissima levi sepe de causâ suscipi significarent, & vel florem ad arma homines concitare interdum, ostenderent. Gladiô erat accinctus. Dexterâ vexillum gerebat, cui insigne erat flos purpureus, lævâ lancem. Galeæ insidebat gallus gallinaceus, quod magnorum bellorum erat signum. Lâx multa esse perpédenda docebat, credo in bellô suscipiendô, ut removeatur omnis temeritas & injustitia. Pectus Idoli nudum erat, insistente ei ursô, quo fortitudinem docebant atq; intrepidum in periculis animum. Clypeum quoq; adjecerât, cui inscripta erât: Lâx, Rosa & Leo, quod huc spectabat, ut fortitudine & calliditate omnia esse bella expedienda docerent. Huic Idolo nomen erat Irmenseule q. d. Mercurij statuem, ut placet Lælio Bisciola. Nam ut Iohannes Boëmus Aubanus scribit, Germani Mercurium colere soliti, cui statis diebus hostijs hominum litabant. Verior absq; dubio est Crantzij sententia, statuentis, dictum esse illud Idolum Irmensulum, q. Jedermanscul / quod esset commune per- fugium & asylum omnium, licet nec Bisciola sententia impro- banda, qui Irmensulum in honorem Arminij Cheruscorum Du- cis erectum esse, & ex eo nomen nactum esse scribit: Hoc simula- chrum, cujus egregiam *στατύπωση* dedit nobis Meibomius, de- struxit CAR. M. & nocturnô tempore ad Visurgim, ubi hodie Cor- beja sita est, in terrâ defodit. Tandem erutû rursus, & a Ludov. Pio in Cathedralem Ecclesiam Hildesensem, ubi reliquæ eius adhuc hodiè servantur, translatum est. Subscriptum erat huic statuae Sa- xonicis literarum monumentis: In vortiden bin icf geweest der Sassen Harroge und ore Gott. Sed ô cæcû cæcorum ducê! ô miserum DEUM!

I. r. c. 12.  
& 13.

Observ. var.  
l. 2. c. 17.

tom. 1. hor  
Subsec. l. 20  
c. 13.  
l. 3. de mor.  
var. gent.  
l. 2. Sax. c. 19

l. de. Irmens  
Saxon. Le-  
tznerus c. 18  
hist. Carol.  
M.

o misc-

Ernst. Ob-  
serv. var. 1.  
3, c. 18.

Cranz. 1. 2.  
Sax. c. 12.

miseros homines, qui huic insensibili sentientes supplicabant! O stolidos homines, qui huic inanimato & irrationali, animati & rationales per totum diem astabant & victimas mactabant. Pergamus, Audit. & aliud etiam Saxonum idolum satis celebre contemlemur. Erat illud in arce Hartesburgô, cujus supra facta est mentio, & Crodo appellabatur. Forma ejus talis erat: ingens columna erat statuta, cui piscis asperimus impositus, huic nudis instabat pedibus Crodo, hâc mente, ut firmiter pedes figerent, ac constantiam inter se colerent. Cumq; in re aspera consisteret Idolum, asperrima quæq; se perpeti malle, quam in servitutem ulli se dare significabant, quin potius novaculas nudis pedibus calcare Saxones velle, quam libertatem amittere. Cinctum erat Idolum lineô cingulo, lævâ rotam regebat, quæ concordia unitatisq; argumentum ipsis præberet, dextrâ situlam rosis stipatam tenebat. In horum regiones CAROL. M. cum venisset, & Saxones Orientales Christianam religionem docuisset: Quis est, inquit, DEVS vester? Succlamatum est à promiscuâ plebe, Crodonem esse DEVM. Quibus ille, Crodo est DEVS vester? is verò Diabolus est Crodonius, unde postea id nomen mali ominis inter Saxones factum est. Non detinebo vos diutius, Audit. nec lenitate & benivolentiâ vestrâ summa abutar, sed finem dicendi faciam, si tertium prius addidero idolū. Ne quæso agrè feratis, quod paulò fusius hanc majorum nostrorum superstitionē exposuerim. Supra centum enim años nec ego de hac materia dixero, nec vos me dicentem audietis. Absq; intentione calamus quædam distitavit, quæ antea afferre animus non erat, aliud enim ex alio, ut fieri amat, incidit. Tertium itaq; Idolum (ut Hammonis, quæ in Hamburgi adorabant, nullam faciam mentionem) Magdeburgi colebatur, & postea ipsi urbi nomen dedit. Hoc Veneris & trium Charitū præ se ferebat faciem. Stabat nempe in curru nuda femina, myrtea caput cincta coronâ, ardentem faculam in pectore, in dextrâ mundi figuram, in sinistra verò mala aurea tria præferbat, à cujus tergo tres stabant, puellæ, nexis manibus nudæ, poma gestabant.



## Christianam Religionem Conversione 25

gestabant, a versis invicem vultibus dona porrigentes, jugales quadrigæ erant gemini cygni totidemq; columbæ. Hanc Veneris imaginem venerabantur Saxones, hanc adorabant. Verùm.

*O curas hominum, ô quantum est in rebus inane,*

*O curva in terras anima, & cœlestium inanes.*

Perfius

Sat. I. v. l.

Habebant Saxones verum DEUM & commentitios quærebant: Habebant DEUM proprium & mutuatitios petebant: Habebant DEUM veracem & mendaces quærebant. Quapropter cum nos à tantâ superstitione liberati hodie simus, & veram veri DEI cognitionem habeamus, cultus etiam DEO placentes præstare valeamus, ingratitude omnem cane peius & angue fugere nos decebit, & sine fine cum Psalte regiô dicere: Confitemini Domino, prædicare nomen ejus, annunciate inter gentes opera ejus. Cantate ei & psallite, narrate omnia mirabilia ejus. Mementote mirabilium ejus, quæ fecit prodigia & judicia oris ejus.

Pf. 150. v. 1.

2. & 3.

Hoc n. si fiet, augebit splendorem lucis suæ inter nos, nec permittet, ut quibuscunq; falsarum opinionum tenebris obscuremur, quin potius corda nostra illuminabit, & lucem verbi sui ad seros nepotes transferet, ut & illi potentiam DEI videant, & prædicent mirabilia ejus à seculo in seculum.

Nunc, quando id quod hõc Martini die agendum erat, ritè est peractum, ad Vos Auditores Viros de Repu-

D

blicâ

blicâ, Ecclesia & Scholâ, adeoq; de patriâ universâ præclarissimè indies merentes, mea redit oratio, iterum iterumq; rogatum, ut quæ de primâ Saxonum ad religionem Christianam Conversione, deq; formidabili isto Idolorum cultu verbis parùm perpolitus, edisserui, dextrè interpretemini, & vestrà benivolentia, quam sentio, laudo, admiror, me, si mereor, porrò prosequamini. Egò interim cum Dnn. Collegis meis & hoc totò nostrò coetu calidis vos omnes votis prosequar, quæ ne sint irrita, Optimus Maximus Deus volet, DEUS ita confido efficiet,

DIXI.

Τῷ Θεῷ Μόνῳ Δόξα!





**R**ingis GELHUDI priscorum Idola  
 parentum,  
 Quis cultus, quantum creverit  
 ille, doces:

O utinam in melius crevisset turba Nepotum,  
 Nec cessaret in his religionis amor!  
 Verum sunt Idola ipsi, vitæq; reatu  
 Quam nihili pendant Sacra, DEumq;  
 probant.  
 Corrigat hoc pravi, justissimus arbiter ævi,  
 Corrigat extremo, deproperando, die.

Ita volebat

Matthias Gleissenberg.



Ana-



QK T. 2142



Anagrammatismus,  
M. SAMVEL GEELHVDIVS,  
MELLE VIGES AD VSVM,



Sicut Apes hominum studiosæ sem-  
per AD USUM  
MELLE VIGENT fruticum; sic quoq;  
MELLE VIGES.  
MELLE VIGES Juvenum, præclare Magister,  
AD USUM,


Linguarum & Sophiæ MELLE diserte VIGES.  
Nec minus Historiæ te MELLE vigere videmus,  
Quando progressum, principiumq; doces  
In patriâ fidei veræ: dignissima scitu:  
Sunt mera mellea, quæ colligis instar Apis.  
Collige plura olim, tibi sunt Authores flores  
Et Graij & Latii, collige, laude VIGES.  
Laude VIGES meritò, juvenesq; Senesq; beando  
MELLE tuæ Suadæ, MELLE tuæ Sophiæ.  
Vive VIGEQ; diu, VIGeat post fata perenne  
Nomen, Amice, tuum, vive VIGEQ; diu.

Gebhardus-David Ritthausen /  
Cant. Mart.

UNA

UNA

M.C.




**Kodak**  
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

**KODAK Color Control Patches**

Black 3/Color White Magenta Red Yellow Green Cyan Blue



ROSO, NOBILISSIMO  
 AXIME STRENUO,  
 NO à KANSTEIN,  
 entissimi Principis ac Domini,  
 CI-VVILHELM I, Sacri Ro-  
 Archi-Camerarij & Electoris  
 sis, &c. Dn. nostri clementissimi,  
 RIO, in Ecclesiasticis & Politicis,  
 SVMMO,  
 elssimæ Principis ANNÆ-  
 cissæ Brunsvicensis & Lunæbur-  
 Aulæ Mareschallo, Capitaneo  
 eburg / & Hæreditario in  
 Kanstein / etc.

IO GRATIOSO ET ME-  
 o, præsentem de primâ Saxo-  
 anismum conversione Discursum  
 missè offert & dedicat

OTHECA  
 KAVIANA

M. S. G.



di S  
 nor  
 in r  
 tion  
 esse  
 tas  
 crâ  
 tra  
 pti.  
 am  
 acc  
 git  
 qu  
 Ro  
 rep  
 &  
 me  
 In  
 per  
 nic

